REGIAE FRIDERICO - ALEXANDRINAE
LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. IOAN. GEORG. VIT. ENGELHARDT

REGI AB ECCLES. CONSIL. THEOL. PROF. PUBL. ORD. EQUES ORDIN. S. MICHAELIS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

LECTIONES THEOCRITEAS

PRAEMITTIT

D. LUDOVICUS DOEDERLEIN

GRAEC. ET LAT. LITT. P. P. O. ET SEM. PHILOL. DIRECTOR. SOC. LITT. MONAC. SODALIS.

ERLANGAE,

TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGII. MDCCCXLIII.

Herrn Professor

Lectiones Theocriteae.

Proximo anno quum programmati praefabar, *Minutias Sophocleas* exhibui, et primam quidem earum partem, multis id genus in scrinio superfuturis. Ejus opellae quam pollicitus eram continuationem, ideo distuli ac potius interrupi hac *lectionum Theocritearum* sylloge, quia parari novas Theocriti editiones brevi prodituras interim percrebuerat. His igitur si symbolas meas inseri vellem, festinandum mihi esse intellexi. Sunt autem eorum, quae moniturus sum de Theocriti eclogis, pleraque non minutiae, sed aut falsa ideoque prorsus nihil, aut ut in rebus philologicis ponderosa, quae non ad verbulorum emendationem vel verborum explicationem pertineant, sed ad illud, quod nobilissimum est in omni criticea genere, ad artis poeticae intellectum aliquid conferre velint, ita tamen, ut criticis a rebus et initium capiant et in iisdem commorentur et ad easdem redeant.

* * *

Ad Theocr. id. I, 64 — 141.

De Daphnidis fabula.

Celeberrima erat de Daphnidis malis inde a Stesichoro fabula. Sed maxime eadem varia fuit. Vide praeter Theocriti scholiastam diversissima commiscentem, inepta comminiscentem, Serv. ad Virg. Buc. VIII, 68. Ovid. Met. IV, 277. Sil. It. XIV, 466. Aelian. V. Hist. X, 18. Diod. Sic. IV, 84. Nonn. XV, 307. Parthen. Erot. 29. Diligenter haec et collegit et distinxit Welckerus in Censura Stesichori Kleiniani inserta Jahnii Annall. Philoll. 1829, IX, 2. p. 284 seqq. cui plurimum acceptum refero. Commune his prope omnibus fabulis hoc est, Daphnidem lege aliqua obstrictum fuisse, ut semel amaret, uno in perpetuum amore contentus. De puellae nuptaeve nomine, de juvenis constantia et fide discrepant. Nos dum Theocriteam de Daphnide fabulam investigamus, non hoc sequemur, ut cum caeterorum fabulis congruat, sed ex illis tantum assumemus, quantum ad illustrandum Theocriti poema facere intellexerimus. Plurima, imo omnia novus poeta poterat ex prioribus fabulis repetere, nihil debebat. Ergo hanc Theocriteae fabulae summam

1 *

statuo. Daphnidi nupta erat vel amica, quae semel non quidem nominatur, sed significatur, v. 82 *ἁ κώρα*. Fuerit illa Nais, de qua id. VIII, 90:

κὴκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο,
καὶ νύμφαν ἄκρηβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γᾶμεν.

vel *Ἐχεναΐς* vel *Νομία* in reliquis fabulis nominata. Nam *κώρα, κούρη* non virginem solam, sed etiam juvenilem maritam significat, ut Hom. Il. VI, 247 per *κουράων* filiae Priami matrimonio junctae intelliguntur, *κουρίδιαι ἄλοχοι*, ut Proserpina, ut pariter Octavia Neronis conjux *puella* dicitur Tac. Ann. XIV, 64 coll. c. 30. Illi se uni in omnem vitam dediderat, jurejurando amatorio obstrictus nullius se post illam amore captum iri. Non coactus a virgine id promiserat, opinor, ut est in vulgari fabula, sed suapte sponte et impetu animi et tanquam certus, nec venustiorem illa inveniri usquam posse et ipsum puros a contactu aliarum oculos habiturum esse. Id tam confidenter promiserat, ut ea ipsa confidentia numen Veneris laesisse videretur. Nam sive Venus sive *Ἔρως* amores quoscunque volunt quibuslibet erga quoslibet commovere solent. Et ulciscitur Venus illam potentiae suae detrectationem, tanquam non obnoxium se Veneris arbitrio Daphnis jactaverit. Sauciatur Veneris sagittis, ut novo mox alius virginis amore laboret. Quaenam ea virgo fuerit, nec significatur, nec ad rem facit. Fuerit illa *Ξενέα,* cujus mentio id. VII, 73.

ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ᾀσεῖ,
ὥς ποκα τᾶς Ξενέας ἠράσσατο Δάφνις ὁ βώτας,
χὠς ὄρος ἀμφεπολεῖτο καὶ ὡς δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν,
Ἱμέρα αἴτε φίοντι παρ᾽ ὄχθαισιν ποταμοῖο.

Nomen proprium agnovit Meinekius, nisi quod *Ξενίας* scribi mavult ex Schol. ad I, 65. *Δάφνις μὴ δυνάμενος φέρειν τὸν τῆς Ξενέας τοὔνομα νύμφης ἔρωτα ἀπέλιπε τὸ ζῆν,* ubi codd. *Ξενίας*. At formam *ξενεοί· στρατιῶται* habet Hesychius, ut *ἀδελφεοί*, similes, quae appellativi forma dum in nomen proprium vertitur, rite accentum commutat. Plurimi de universa fabula errores inde fluxerunt, quod Naida et Xeneam non ut diversas puellas distinxerant, exemplo Schol. ad id. VIII, 93. *Ναΐδα· νύμφην τὴν ξενίαν λέγει.*

Illa ipsa Daphnidis de Xenea taciturnitas habet aliquid ex arcano sanctoque silentio. Nemo praeter ipsum qui laborat et Venerem, quae laboris causa fuit, conscius est; fortasse ne ipsa quidem Xenea. Dii hominesque augurantur, amore eum cruciari aliquo; nihil

ultra. Saucius Daphnis facere non potest, quin intus ardeat novo amore; illud facere potest, ne exardescat vel recens amatam Xeneam sponte sectetur. Fortasse semel vidit Xeneam et, quoniam captum se sensit, porro eam fugit, ut suam innocentiam servaret. Descivit affectu externa et inevitabili vi indito; fidelem se praebet in agendo, quoniam id quidem penes ipsum est. Ita aspernatur illud, quod proverbio asseveratur, *perjuria amantium diis non exaudiri.* Haec tabescendi causa. Sicut in mortalium proeliis viri fortes corporibus succumbunt vi vulnerum fracti, caeterum animis invicti manus non dant victori, ita rursus Daphnis in pugna adversus Venerem animo quidem victus est, quoniam ad affectus animi Veneris tela diriguntur, sed idem virtute, fide, constantia invictus est. Ergo enectus cupiditate in ejus animo cum religione ad internecionem usque pugnante, avia saltuum petit, a nupta, novi ac secreti amoris prorsus ignara, nequidquam quaesitus. Ibi Mercurius ad eum accedit. Pater is Daphnidis erat, teste Parthen. Erot. 29. Pater aegrotantis miror quod satis habet ex filio quaerere, qua flamma laboret, et nec solatii, nec adhortationis aliquid addit. Multo magis miror, cur mox Priapus tam gravi ac severa oratione utatur, ea praesertim, quae Priapeo ingenio dissimillima est. Salacitatis quippe Daphnidem Priapus, salacitatis ille magister, incusat! inconstantiam libidinis in Daphnide increpat! Quanto convenientior talis oratio patri, quem, quamvis lascivum alioquin, tamen adversus filium graviorem monitoris personam sumere et continentiam ei commendare fas erat. Ergo transposita vss. 86 — 92 esse suspicor et alloquio Mercurii continuandos v. 78.

Ἦνθ' Ἑρμᾶς πράτιστος ἀπ' ὤρεος, εἶπε δέ· Δάφνι,
τίς τυ κατατρύχει; τίνος, ὠγαθέ, τόσσον ἔρασσαι;
βώτας μὰν ἐλέγευ, νῦν δ' αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας.
ᾡπόλος ὅκκ' ἐσορῇ τὰς μηκάδας οἷα βατεῦνται,
τάκεται ὀφθαλμὼς, ὅτι οὐ τράγος αὐτὸς ἔγεντο.
ἄρχετε βωκολικᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς!
καὶ τὺ δ' ἐπεί κ' ἐσορῇς τὰς παρθένος οἷα γελεῦνται,
τάκεαι ὀφθαλμὼς, ὅτι οὐ μετὰ τοῖσι χορεύεις.
Ἦνθον τοὶ βῶται, τοὶ ποιμένες, ᾡπόλοι ἦνθον κ. τ. λ.

Is igitur Mercurius secretum aliquem filii amorem auguratur. Mox Priapus nihil tale suspicatus unum hoc admonet, ut ne tam procul a nupta agat, tenerrime amante, anxie quaerente. Nam si per *ἁ δέ τε κώρα*, ut supra monui, Nais ac non Xenea intelligitur,

in ζατεῦσα (quanquam etiam Meinekius Slothouweri conjecturam ζαλοῖς commendavit) nihil difficultatis relinquitur; dum ne sequentia

ἆ δύςερώς τις ἄγαν καὶ ἀμάχανος ἐσσί.

in contrariam sententiam detorqueantur, ut a Wuestemanno factum est: „δύςερως quem „infelicem reddit amor; ἀμάχανος quatenus Daphnis consilii inops nescit, quid agat, et „rationibus suis parum prospicit". Imo tu verte: *Proh torpidus ad amorem et ferreus animo es*, qui nuptae amantissimae obviam non eas. Prorsus eodem sensu id. VI, 7.

δυςέρωτα τὸν αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα

et in inscriptione idyllii XXIII. Ἐραστὴς ἢ δύςερως, quorum nominum prius ad ἄνδρα πολύφιλτρον, posterius ad ἔφαβον pertinet. Proprius hic usus est Theocriti; nam apud reliquos scriptores δύςερως contrarium significat, *perdite* vel *infeliciter amantem*, ut apud Meleagrum in Anthol. Pal. XII, 197.

ὀρθροβόας δυςέρωτι κακάγγελε!

Thucyd. VI, 13. μηδ' ὅπερ ἂν αὐτοὶ πάθοιεν δυςέρωτας εἶναι τῶν ἀπόντων, coll. Eur. Hipp. 194. Xenoph. Oec. 12, 13. Lucian. Tim. 26. Plut. Pericl. 20. Achill. Tat. V, 1. Utraque vis rationi minime repugnat; nam et qui parum et qui nimis amant, pariter *male amantes* sunt. Etiam ἀμήχανος per se ambiguum est; prout activo sensu *inopem* vel passivo *intractabilem* significat. Posterior vis huc unice cadit, ut Hom. Il. XVI, 29.

σὺ δ' ἀμήχανος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ!

Et patri quidem vel pastoribus vel Priapo nihil respondit, non ira, non contumacia, sed pudore ac ne compotem quenquam tristissimi secreti sui faceret; donec accedit ea, quae sola conscia est, Venus:

ἦνθέ γε μὰν ἁδεῖα καὶ ἁ Κύπρις, γελάοισα,
λάθρια μὲν γελάοισα, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα.

Et illi quidem, pater et Priapus, accesserant moesti; tanto laetior Venus adstitit et ridens; quanquam intra animum duntaxat ridebat, vultu ac sermone iram prae se ferebat. Exultavit apud se, quod Daphnidem victum credebat, spe fore ut ipsius opem ad potiundum amorem et explendam cupiditatem et recuperandam salutem implorare, quam misere interire mallet. Hoc si fieret, plane vicisset. Sed quam veteri illi hominis contumaciae veniam paratam habebat, eam ne ultro offerre videretur, manentem iram simulavit. Ergo cum Valckenario facio: „ἀνέχειν significat *in altum attollere* et elatum *ostentare* et *prae se ferre*." Ut in illo Hom. Il. XXII, 80 μαζὸν ἀνέσχε. Assentitur Greverus

Beytr. p. 22. Quanquam id ipsum improbat G. Hermannus ad Soph. Oed. C. 680 addito: „imo cohibere illa et comprimere iram dicitur." Vellem etiam verba *λάθρια γελάοισαν* vertisset vir summus. Deberet vertere: leniter subridens; nam ut est ingenium structurae, Venus aut animo irata, vultu ridens dicitur, aut animo ridens, vultu irata. Atqui *λάθρια γελᾶν* nihil aliud quam *occulte* h. e. *animo ridere* significare posse ajo. Nam *leniter subridere* est *ἠρέμα γελᾶν*. Quodsi Hermannus cum Ahlwardto *ἁδέα μὲν γελάοισα* substitui jussit, id Meinekius cum Lobeckio ad Aj. p. 246 Graece dici negat. Neque verae irae causa erat Veneri, nedum gravi irae, *βαρεῖ θυμῷ*. Ejusmodi enim delictum fuerat Daphnidis, ut ad ludificationem superbi ac prorsus confidentis hominis, non ad crudelem ejusdem ultionem irritare deam posset; quum praesertim jam devictus videretur, quo adspectu vel vera ira emollitur. Igitur ipsa Venus ei, quod nihil nisi ludus et ludificatio fuerat, severitatis speciem induit. Testis ipsa est, quae v. 139 moribundum *ἤθελ' ἀνορθῶσαι*, sed sero. Jam vero cur *ἁδεῖα*, *laeta* ut Soph. Oed. T. 82. El. 929, cuiquam suspectum fuerit, non assequor. Quae Veneri respondet Daphnis:

Κύπρι νεμεσσατά, Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής!
ἤδη γὰρ φράσδῃ πάνθ' ἅλιον ἄμμι δεδύκην;
Δάφνις κἠν ἀΐδα κακὸν ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτος!

hunc habent sensum: **Frustra exultas; neque enim omnis moriar, dum morior, sed postquam exspiravero, hoc aeternae Amori ignominiae et dolori erit, quod mortalis ab eo ictus tamen manus non dedi.** Quippe interrogationem altero contineri ex his versibus recte monuit Schneidewin. Conject. p. 166 addito: „Dicebatur proverbialiter *οὔπω πᾶς ἥλιος ἐμοὶ δέδυκεν*, h. e. **noch ist nicht** „**aller Tage Abend.** Locum Theocriteum eximie illustrat Diodor. Exc. Vatic. p. 78. „Dindorf. *Φίλιππος ὠνείδιζε τοῖς Θεσσαλοῖς ὡς τῆς ἐλευθερίας ἀνελπίστως διὰ Ρωμαίων κυριεύσαντες λοιδοροῦσι τοὺς προγεγονότας κυρίους, οὐκ εἰδότες ὅτι οὔπω πᾶς* „*αὐτοῖς ὁ ἥλιος δέδυκε.*" Recte, nisi quod Germanicum proverbium non prorsus respondet Graeci usui. Illud enim significat: *nondum prorsus devicisti, sed possunt etiamnunc nova ac diversa accidere;* hoc autem, apud Theocritum saltem: *nondum prorsus perii, sed etiamnunc valeo ad ulciscendum.*

Postmodo testamento facto Daphnis animam efflat. At non moritur post verba ei momento convenientissima v. 129.

ἦ γὰρ ἐγὼν ὑπ' ἔρωτος ἐς Ἄϊδος ἕλκομαι ἤδη.

sed spatium ei post supremam vocem superest ad detestationem omnis rerum naturae. At obsecro, cur rerum naturae vel genti humanae tam iratus infestusque est? Nemo eum laesit praeter unam Venerem, nec ipse cuiquam usquam acerbum se praebuit praeterquam Veneri. Detestari solent superatites ii demum, qui dolos et malitiam mortalium experti sunt, non qui fato vel coelitum fraude intereunt. Jam vero Daphnis vel summa admiratione et caritate aequalium et adeo ferarum dum viveret fruebatur. Omnibus valedicit amice. Plurimum in eo moestitiae apparet, nihil amaritudinis. An putas ipsa talis odii iniquitate describi immanem doloris magnitudinem? Imo vero is non tam augeretur, quam inquinaretur! Nam humilium animorum est illa cantilena: *Me mortuo pereat mundus!*

Risus me subire solet, quoties in legendo et in arte critica exercenda ad transponendorum verborum suspicionem adducor, tanquam multis furibundus ac vesanus ejus remedii amator videri possim; nam qui de Tacito transpositione verborum emendando me scripsisse meminerint, non sibi deerunt, quin lymphatum me talium mendorum venatorem compellent. Perferam sane, imo arridebo. Ac tamen veritati in quantum possum nihil derogabo. Et praeivere Theocriti editores aliquoties ordinem verborum vel versuum corruptum deprehendi statuentes, inter quos ipse Hermannus ad id. XXVII in Opp. T. V. p. 114, refragante quidem Meinekio. Porro id. XI, 22.

φοιτῇς δ᾽ αὖϑ᾽ οὕτως, ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με·
οἴχῃ δ᾽ εὐϑὺς ἰοῖσ᾽, ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἀνῇ με.

ubi Wassenburgius verba *αὖϑ᾽ οὕτως* et *εὐϑὺς ἰοῖσα* sedes inter se commutare jussit; probabiliter sane, quanquam in promtu est priorem versum sic emendare:

φοιτῇς δ᾽ αὐτοσύτως, ὄκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με.

ut Aesch. Eum. 170. *μυχὸν ἔχρανας αὐτόσσυτος; αὐτόκλητος.* Hesych. *αὐτόσυτον* (sic)· *αὐτοκέλευστον· Σοφοκλῆς Σκυρίοις.* Nonn. Joann. VII, 17. Synes. hymn. I, 52.

Ut ad nostrum locum redeam, hic est, opinor, verus versuum Theocriteorum ordo:

ἦ γὰρ ἐγὼν ὑπ᾽ ἔρωτος ἐς Ἄϊδος ἕλκομαι ἤδη.
Λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε λήγετ᾽ ἀοιδᾶς!
Χὠ μὲν τόσσ᾽ εἰπὼν ἀπεπαύσατο· τὸν δ᾽ Ἀφροδίτα
ἤϑελ᾽ ἀνορϑῶσαι· τά γε μὰν λίνα πάντα λελοίπει
ἐκ Μοιρᾶν, χὠ Δάφνις ἔβα ῥόον· ἔκλυσε δίνα
τὸν Μώσαις φίλον ἄνδρα, τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχϑῆ.
Λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε λήγετ᾽ ἀοιδᾶς!

Νῦν δ' ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι,
ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι! κ. τ. λ.

Nunc exsecratio non Daphnidis est, sed Thyrsidis, qui omnem rerum naturam inverti vult, tanquam post Daphnidis jacturam nemini aequalium vita amplius sit vitalis, ut est mos graviter lugentium ac paene desperantium. Hinc consequitur *θνήσκει* v. 135 sensu perfecto dictum esse, ut in Soph. Oed. T. 118. *θνήσκουσι γὰρ πλὴν εἷς τις*, et ipse Bion. id. I, 58 *θνάσκεις, ὦ τριπόθατε;* ut taceam de participii *θνήσκων* usu frequentissimo.

Accedit non mediocris huic opinioni commendatio ex eo, quod ita his versibus ordinatis totus Thyrsidis cantus, sicut exordium lyricum, ita lyricum habet exitum. Rursus ut vulgo legitur, in narrationem terminatur, neque concinno carminis fine et propemodum jejuno.

Ad Theocr. id. IV.

Scripseram olim ac nuper repetii commentationem de idyllii quarti summa. Vid. Reden und Aufsätze p. 350. Ei quaedam hoc loco addam.

Demonstravi, postquam vss. 38—39 rectius, quam ante factum erat, et distinxi et exposui, non corpore obiisse Amaryllidem, sed animo et amore refrixisse erga Battum. Id si verum est, aequiparandae sunt hujus idyllii personae, in quantum pastores cum heroum ingeniis possunt comparari, illis qui in nobilissima Goethii nostri tragoedia inducuntur. Claram enim intimo ex animo amat juvenis quidam frugi, probus, prudens, humanus, moderatus, Brakenburgius. Nihil habet Clara, quod in eo vituperet vel desideret, nisi quod amabilis sibi non sit, vel esse desiverit, postquam Egmontem cognosset. Ipsa enim, viragini quam virgini similior, ut aspernatur vel deserit illum, qui frugi tantum est, ita deperit eum, qui erectum animum, audaciam, alacritatem, generositatem prae se fert, et omnibus in rebus excelsa et nimia, quam mediocria et communia mavult. Item Amaryllis Batto aliquamdiu faverat, pastori probo rebusque suis strenue intento; donec vidit Aegonem, bubulcum quidem et ipsum, sed qui majores pennas nido extenderet, et altiora quam securitatem pastoritiam appeteret. Is virginis animum fascinaverat roboris Herculei specimine, dum taurum ungula detentum trahit, et ridens tanquam tale facinus sibi sit ludus, Amaryllidi dono dat. Hoc puellae sublimiora admiranti

initium fuit deserendi Batti. Postmodo idem Aego sive suapte libidine compulsus, sive ut gloria quoque Amaryllidem devinciret, deserta armentorum cura Olympiam concedit, athletae inter athletas famam quaesiturus. Id cum audit Battus, aegre fert, nares corrugat, factum cavillando perstringit, vel quod pro sua mediocritatis et otii admiratione parum intelligit, cur quisquam sanus alia et grandiora appetat, vel quod nova irritamenta ad Amaryllidis suae erga Aegonem amorem metuit et invidet, vel denique quod in rivali omnia displicent. Invehitur ut est aeger animo in Aegonem, in ejusdem populares et patrem; ipsum cum quo confabulatur Corydonem, famulum et Aegonis absentis vicarium, omni modo lacessit.

Admirabilis est inter haec omnia Corydonis persona. Non est is, ut vulgo putant, puer torpidus ac fatuus, et qui lacessitus non sentiat se lacessi. Imo veri intelligens est, sed idem mansuetissimus. Novit perbene, cur tam tristis et acerbus sit Battus adversus Aegonem ejusque domum, sed quia causam ejus irae prope justam esse intelligit, excusat bilem et virus cavillantis, clementer prae misericordia agit, et patitur ac dissimulat asperas Batti facetias, ut hominis miseri. Leniter et herum et semet ipsum defendit, neque quidquam respondet, quod afflicto addere possit afflictionem. Tum demum, postquam injecta fortuito Amaryllidis mentione affectu ac dolore proreptus in querelas erupit Battus et veram tristitiae suae causam ipse aperuit, ponit dissimulationem conscientiae Corydon et consolatur miserum, spem redituri amoris ostendendo. At enim pudet Battum tam humilis consolatoris et quod ipse incauta confessione puerulum conscium secreti sui, ut putabat, fecerit. Itaque verbulo et quod fiduciam simul et importunae querimoniae poenitentiam prae se ferat: *ϑαρσέω!* abrumpit hunc sermonem et ad alium transit, argumento disparem, stomacho parem. Vaccis Aegonis irascitur. Hactenus omnia ita procedunt, ut aperta sit ratio. Mox difficultate aliqua laborat hujus poematis descriptio. Spinam pedi inhaerentem incusat, Corydonisque opem implorat. Quaerere juvat, *τί τοῦτο πρὸς Διόνυσον?* Nam si tota haec ecloga, ut decet, simplex duntaxat et unum est, non sine causa haec inserta sunt, quin toti inserviant. Atqui neque Batti nec Corydonis mores in hac sermonis parte apparent. Nam illud parum est, Corydonis bonitatem in ope ferenda conspici. Nihilominus subtilem poetae artem agnoscere mihi videor. Adhuc enim clara voce confabulati sunt sermocinantes. Nunc arcana domus et obscoenitatis aliquid habentia sciscitaturus est Battus. Talia submissa voce et nterroganda et respondenda sunt. Non vult sua sponte arrepere Battus vernae ad aures,

ne importunae curiositatis vel inquisitionis speciem crimenque subeat. At enim spinae dolor occasionem praebet, necessitatem imponit. Hoc postquam nomine proxime accessit, tam secretus sermo commode institui potuit, quasi ipsa propinquitas corporum animos ad familiarem secretorum communicationem et ad susurros invitaret. Tum, postquam etiam patri hominis invisi maculam adspersit, tanquam expleta ira discedit Battus.

* * *

Elucet in his duobus, de quibus modo exposui carminibus nova quaedam et caeteris antiquis poetis inusitata amoris aestimatio. Nimii quidem et angusti hodie omnium consensu illi judicantur, qui a tenero castoque amoris muliebris affectu veteres alienos fuisse opinati sunt. Ipse Homerus antiquorum, Tibullus recentiorum contra testantur. Sed tamen apud hos quoque talis amantium amor deprehenditur, qui aut caritati aut libidini propior sit, quam illi amori, qui medius inter caritatem et libidinem ac potius utroque affectu sublimior habetur; quemque posteriora saecula et Italorum, Hispanorum, Germanorum, Britannorum poetae celebrare soliti sunt. Enimvero unus Theocritus, etsi in quibusdam carminibus rudis, agrestis, immundi etiam amoris exempla introducit, tamen in illis duobus idylliis si quisquam alius proxime abest a *romantici amoris* repraesentatione.

Ad Theocr. id. VII.

Inde a v. 96 conqueritur Simichidas sive ipse Theocritus, quod ardeat amore Philini pusionis Aratus, nec ametur vicissim. Deorum opem implorat, ut emolliant animum pueri fastidiosi. Denique terret ipsum puerum admonendo de brevitate floris puerilis v. 120.

καὶ δὴ μὰν ἀπίοιο πεπαίτερος· αἱ δὲ γυναῖκες
αἲ αἲ φαντὶ, Φιλῖνε, τό τοι καλὸν ἄνθος ἀποῤῥεῖ.

Hactenus spem praefert poeta, compotem se fore voti. At subito pergit:

μηκέτι τοι φρουρέωμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε,
μήτε πόδας τρίβωμες· ὁ δ᾽ ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ
κοκκύσδων νάρκαισιν ἀνιηραῖσι διδοίη.

Unde haec tam subita desperatio, ut omittendum devinciendi pueri studium censeat? Causam video nullam. Nihil accidit novi. Atqui turpius peccare poeta vix potest, quam si temere quidquam fieri, nedum sine causa ac ratione consilia hominum immutari fingit. Nempe

excidisse videtur versiculus ante exhortationem desistendi, quem lusu ingenii, non divinatione talem comminiscimur:

εἰ δὲ σιδάρειον τῷ παιδὶ μετὰ φρεσὶν ἦτορ,
μηκέτι τοι φρουρέωμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε κ. τ. λ.

* * *

Sed genii mei causa placandi minutiarum etiam aliquid adspergo. Ejusdem idyllii v. 69 distinctio emendanda est commate ponendo:

καὶ πίομαι μαλακῶς μεμναμένος Ἀγεάνακτος
αὐταῖσιν κυλίκεσσι, καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.

hoc est: *potabo vinum simul cum calicibus et faeci labium admovebo.* Nam ipsos calices devorare et videntur et festive dicuntur, qui avide hauriunt. — Porro id. XV, 26.

ἕρπην ὥρα κ' εἴη· ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά!

in hunc modum explico: *Eamus! Nam quoniam domi ac Syracusis non sumus, sed procul a textrinis culinisque nostris peregre degimus, etiam solidus dies nobis ad feriandum conceditur.* — Denique id. XXIII, 59 scribendum videtur:

λαϊνέας δὲ
ἕστατ' ἐπὶ κρηπῖδος Ἔρως ὑδάτων καθύπερθεν·
ἅλατο κὰτ τὤγαλμα, κακὸν δ' ἔκτεινεν ἔφαβον.

pro eo quod codd. exhibent: *ἵστατ' ἐπὶ* et mox *καὶ τὤγαλμα.* Harum emendationum priorem censeo probabilem, alteram certam.

Alterum academiae nostrae saeculum, cujus nuper initum summa hilaritate seriis, ut fas erat, mixta consalutavimus et concelebravimus, primo fasces academicos sumentem vidit collegam nostrum ingenio, doctrina, gravitate, comitate excellentem, virum summe venerabilem et amplissimum,

D. Christ. Maur. Leon. Jul. Drechsler,

literarum orientalium prof. publ. ord.

Quodsi Vos, commilitones humanissimi, pro se quisque curabitis, ut faustis ominibus nova reipublicae nostrae aetas intretur, tam communi omnium, quam Vestrae ipsi famae et utilitati consuletis.

P. P. Erlangae d. XX. Novembr. MDCCCXLIII.

(L. S.)